

HERIBERTVS ANTISTES EYSTETENSIS.



**H**eribertus in urbe Herbipolensi à teneris annis in optimis literis educatus est, unde cum felici ingenio esset præditus in uirum doctissimum euasit. Erat etiam pietate & prudentia inter alios conspicuus. Itaque cum Vualtherus Eystetensis præsul decessisset, ipse ob uirtutes & doctrinam decimus quintus eius loci episcopus, anno millesimo uicesimo secundo, electus fuit. Eam uocationem suscipiens, magna diligentia administrauit. In primis enim sacerdotum uitia sustulit, atque decentem uiuendi modum præscripsit. Deinde aliquot hymnos composuit, quibus longo tempore ea ecclesia postea usa est. Cum etiam templum an-

gustum esset, atque etiam ruinam minitaretur, ipse id demolitus, aliud de nouo construxit, atq; multis donis decorauit. Cum hoc modo magna laude per uiginti unum annos suam ecclesiam optimè instituisset, tandè anno 1044 mortuus, Gotzmanus episcopatus onera suscepit. Anon.